



## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. XII. De persecutione Christianorum per Decium Imperatorem, & de  
Anthonio monacho.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

mense uno ministrasset, sacerdotium reliquit *Fabiano*.  
Hic testimonio Spiritus Sancti in specie columbae su-  
per caput ejus descendente, Episcopus ordinatur;  
quod alii de eo, alii de *Zephyrino* Episcopo, factum fu-  
isse tradunt.

## C A P. X.

*De Africano Scriptore.*

**P**er idem tempus *Africanus* inter Scriptores ecclesia-  
sticos nobilis habetur. Hic multos scribit libros &  
epistolas; inter quos Matthæi & Lucæ, in generatione  
Christi, evidentissime ostendit consonantiam, & Chro-  
nicam ipse componit. *Gordianus* imperat sex annis.

## C A P. XI.

*De Philippo primo Imperatore Christiano.*

**I**nterea *Gordiano* Imperatore finem faciente, *Philip-*  
*puscum* *Philippo* filio suo succedit. Hic primus omni-  
um Imperatorum Christianus fuit. Cui volenti inter-  
esse Vigiliis Paschæ, & communicare mysteriis, resti-  
tit *Fabianus* Papa, nec permisit, donec confiteretur  
peccata sua, & staret inter poenitentes. Hic post ter-  
tium sui imperii annum, cum millesimus à conditio-  
ne Romæ annus esset expletus, magnificis ludis cele-  
brat Vrbis natalem.

## C A P. XII.

*De persecutione Christianorum per Decium Imperatorem,*  
*& de Anthonio monacho.*

**P**ost hunc *Decius* succedit. Hic cum Philippos, pa-

I

trem

trem & filium, interfecisset, & ob odium eorum infestus esset Christianis, persecutionem movet ecclesiis. In qua *Fabianus* in urbe Roma martyrio coronatur, *Cornelio* succedente, qui & ipse resolvitur martyrio. In Hierosolymis quoque *Alexander Episcopus*, vir eruditissimus pro Christi confessione, post longævitæ vitæ venerandam canitiem, post multos cruciatus & vincula, inter ipsa vi- cißim sibi succendentia tormenta deficit.

## B E D A.

Tunc sanctus *Anthonus* monachus Ægypto dicitur exortus. Interea sub *Decio* persecutio Christianis illata vehementer exarsit, & innumerabiles sancti de utroque sexu, maxime apud Alexandriam, agones desudant; ita ut crederes prima persecutionum tempora renovari; de quibus *Dionysius* Alexandrinus Episcopus in Epistolis suis ad *Fabianum* Episcopum plenissime refert. Qui & ipse *Dionysius* postmodum capit is ple- citur sententia.

## C A P. XIII.

*De Novato presbytero, heretico.*

**S**ed quia in arca Domini etiam paleæ erant cum tritico, aliquanti tunc ad primam judicis faciem Christum negant, ad aras prosiliunt, timentes magis bonorum temporalium direptionem, quam summum bonum amantes. De quibus prædixerat Dominus, quod qui pecuniam amant, haud difficile labantur. Cornelius cum sedebet, *Novatus*, Cypriani Episcopi presbyter, exsurgit. Hic à ju-